

Ad Augustinum dico : in primis eum non reprobare nostram sententiam , sed tantum antepone re aliam . Sic enim loquitur lib. I retract. cap. 21 : « Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait : Hoc, ipsa petra Ecclesie canente culpam diluit. Sed scio me postea sapissime sic exposuisse, ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus; non enim dictum est illi : Tu es petra, sed tu es Petrus : petra autem erat Christus. Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior, eligat Lector. » Hæc ille. Non igitur Augustinus putat blasphemum, ut censet Galvinus, asserere, super Petrum ædificatam esse Ecclesiam.

Addo : Augustinum ex sola ignorantia linguae Hebraeae esse deceptum. Nam argumentum ipsius est (ut hoc loco indicat) quia non est dictum : *Tu es petra*, sed : *Tu es Petrus*. Itaque existimavit petram, super quam ædificatur Ecclesia, non esse Petrum, quia credidit, *Cepham* non significare petram, sed aliquid a petra derivatum, ut si diceremus, petrinum vel petreum : quomodo Christianus non significat Christum, sed aliquid a Christo derivatum. Quia igitur Ecclesia super petram, non super aliquem petrinum vel petreum ædificanda est; ideo existimavit Augustinus, per illam petram intelligi non Petrum, sed Christum. At si advertisset, *Cepham* nihil aliud significare quam petram, et Dominum dixisse : *Tu es petra*, et super hanc petram : nihil dubitasset de veritate nostrae sententiae.

Quarta restat sententia, quae omnium fere Lutherianorum communis est, et veterum Patrum testimoniis confirmari posse videtur. Si quidem Hilarius lib. VI de Trinit. : « Super hanc, inquit, confessionis petram, Ecclesie ædificatio est. » Item : « Hæc Fides Ecclesie est fundamentum : per hanc Fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum : hæc Fides regni cœlestis habet claves etc. » Ambrosius lib. VI, cap. 9 in Lucam : « Fundamentum, inquit, Ecclesie Fides est » Chrysostomus hom. 55 in Matth. : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, Fidem atque confessionem. » Eodem modo exponit hom. 83 in Matth. Item Cyrillus lib. IV de Trinit. : « Petram, inquit,

(1) Matth. XVI, 23.

hunc locum exponens, opinor nihil aliud quam inconcussum, et firmissimam discipuli Fidem vocavit. »

Addit Illyricus : si super Petrum, et non potius super Fidei confessionem fundata esset Ecclesia, continuo corruisset : Petrus enim mox incurrit in ædiculum de passione Domini, et corruit; in eodem enim cap. XVI Matth. dicitur ei : *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapi quia Dei sumus* (1). Deinde etiam Christum tertio, nec sine magna execratione abnegavit, Matth. XXVI.

Respondeo : Fidem, sive confessionem duobus modis posse considerari : uno modo absolute secundum se, ac sine relatione ad personam Petri : altero modo eum relatione ad Petrum. Priore modo videntur velle adversarii, Fidem esse fundamentum Ecclesie, sed certe falluntur : si enim ita esset, non diceret Dominus : *Super hanc petram ædificabo, sed ædificabo, vel ædificabo Ecclesiam meam*. Jam enim multi crederent eum esse Filium Dei vivi, ut prisci Prophetae, B. Virgo, Simeon, Zacharias, Jo. Baptista, Apostoli, et discipuli ceteri.

Deinde Fides absolute sumpta, recte quidem dicitur fundamentum justificationis, et omnium virtutum : ut enim ait Augustinus Serm. 22. de verb. Apost. : « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, et diligendo perficitur. » At Ecclesie non proprie est fundamentum Fides; debent enim ejusdem generis esse fundamentum, et reliquum ædificium : est autem Ecclesia hominum congregatio, quasi lapidum vivorum, ut dicitur I. Petri II, debet ergo lapis qui est fundamentum, esse etiam aliquis homo, non aliqua virtus.

Denique illud pronomen *Hanc* clarissime ostendit, per petram non posse intelligi Fidem absolute : nam refertur ad petram proxime nominatam : proxime autem dictum fuerat Simoni : *Tu es petra*, non Fidei; oportet igitur posteriore modo accipere Fidem, ac dicere, non quamlibet Fidem, sed Petri Fidem, et Petri non ut hominis privati, sed ut Pastoris Ecclesie esse fundamentum. Id quod coincidit cum eo, quod haecenus diximus, Petrum esse fundamentum.

Dicitur enim Petri Fides fundamentum Ecclesie duplici ratione. Primum, quia ob meritum ejus Fidei consecutus est Petrus, ut sit fundamentum Ecclesie, ut exponunt

Hierony, Hilarius, Chrysostomus, et alii hoc loco. Secundo, quia Petrus in eo potissimum est Ecclesie fundamentum, quod cum Fides ejus deficiere non possit, ipse omnes alios in Fide confirmare et sustentare debet. Sic enim ad eum Dominus ait, Lucæ XXII : *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (1).

Itaque cum ratione Fidei suæ indefectibilis Petrus sit petra firmissima, totam Ecclesiam sustentans, idem est dicere, super Petrum et super ejus Fidem Ecclesiam esse fundatam, atque hoc modo locuti sunt Patres citati. Nam S. Hilarius loco notato, postquam dixerat Petri Fidem esse fundamentum Ecclesie, et claves regni accepisse, subiungit de ipso Petro : « Supereminentem, inquit, bestie Fidei suæ confessione locum peremerit. » Et paulo post : « Hinc regni cœlorum habet claves, hinc terrena ejus judicia cœlestia sunt, etc. »

Sicut ergo dixerat, Fidem esse fundamentum et habere claves : ita nunc dicit, Petrum ratione ejus Fidei meruisse locum supereminentem, id est, ut sit caput, seu fundamentum, et habeat claves. Et ipse idem in cap. XVI Matth. clarissime dicit de Petro : « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesie fundamentum. »

Pari ratione Ambrosius in Luc. lib. VI, c. 9, ubi dicit, Fidem Petri esse fundamentum Ecclesie, ibidem dicit : « Etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut et ipse sit Petrus, qui de petra habeat soliditatem constantiæ, Fidei firmitatem. »

Chrysostomus in utroque loco citato, explicans quid sit ædificari Ecclesiam super confessionem Petri, introducit Dominum sic loquentem : « Ego super te ædificabo Ecclesiam meam. »

Denique Cyrillus etiam loco citato, non eujuslibet Fidem, sed illam inconcussum et firmissimam B. Petri dicit esse fundamentum. Et lib. II, cap. 12, in Joan. scribit, Petrum ipsum esse petram, super quam fundatur Ecclesia.

Ad illud Illyrici respondeo in primis cum Hieronymo in commentario hujus capituli : Petrum, quando audivit : *Vade post me Satana*, et quando negavit Christum, nondum fuisse fundamentum. Hoc enim loco Christus ei promisit, quod post resurrectionem

suam daturus erat. Addo, Petrum non errasse circa Fidem, sed tantum aliquid ignorasse, cum audivit *Vade Satana*, et a charitate excidisse, non a Fide, quando Christum negavit. Quod in tractatu de Ecclesia suo loco docebitur.

CAPUT XI.

Quid sit super petram ædificari Ecclesiam, Matth. XVI.

Sequitur altera difficultas explicanda, quid videlicet sit super petram ædificari Ecclesiam. Et adversarii quidem parum de hoc laborant : nam cum jam negaverint, Petrum esse Ecclesie fundamentum parum referre existimant, quid significet ista ædificatio.

Catholici autem docent, hæc metaphora significari, Petro esse commissum regimen totius Ecclesie, et præcipue circa Fidem. Petræ enim fundamentali hoc est proprium, totum ædificium regere et sustentare. Atque hoc modo exponunt Patres. Chrysostomus hom. 55 in Matth. hunc locum exponens : « Ecclesie, inquit, pastorem illum constituit. » Et infra : « Hieremiam quidem uni genti, Pater : Petrum autem universo terrarum Orbi Christus præposuit. » Ambrosius, serm. 47 : « Petra, inquit, dicitur Petrus, eo quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. » Gregorius lib. IV, epist. 32 : « Cunctis, inquit, Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica, sancto et omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesie cura commissa est. Ipsi quippe dicitur : Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. »

Sed contra objici solent duo argumenta. Primum est Lutheri in lib. de potest. Papæ, ubi dicit, non valere istam consecutionem : super Petrum ædificatur Ecclesia; igitur Petrus est Rector Ecclesie. Quemadmodum recte dicitur, super Fidem ædificari Ecclesiam et tamen non sequitur; igitur est Fides Rector Ecclesie.

Respondeo : ideo nos dixisse, non proprie

(1) Luc. XXII, 32.

dici Ecclesiam ædificari super Fidem. Deinde, etiamsi proprie diceretur, nihil concluderet argumentum: nam sunt omnia intelligenda accommodata ad naturas rerum. Itaque si dicatur, Ecclesia ædificari super Fidem: sensus esse debet, ut intelligatur Ecclesia pendere a Fide ut a principio justificationis, et a dono quadam, sine quo sponsa Christi non esset, si autem dicatur, ædificari super Petrum, sensus erit, Ecclesiam pendere a Petro ut a Rectore: talis enim est dependentia unius hominis ab alio.

Alterum argumentum difficilius est. Quemadmodum hoc loco Petrus dicitur fundamentum Ecclesie, sic alibi dicuntur omnes Apostoli fundamenta. Psalm. LXXXVI: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, ut exponit Augustinus, in Apostolis et Prophetis. Et Apocal. XXI: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni*. Et Ephes. II: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* (1). Quibus verbis alludens B. Hieronymus lib. I. in Jovinian. I: « Sed dicit, inquit, super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et ex æquo super eos Ecclesie fortitudo solidetur. » Nihil igitur proprium et singulare Petro datum vel proximum est.

Respondeo: tribus modis Apostolos omnes fuisse Ecclesie fundamenta, sine ullo tamen Petri præiudicio. Uno modo, quia ipsi primi Ecclesias ubique fundarunt, nec enim Petrus convertit ad Fidem totum Orbem terrarum, sed alias regiones Petrus, alias Jacobus, alias cæteri ad Christum adduxerunt. Quare B. Paulus Rom. XV: *Sic, inquit, prædicavi, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem*. Et I. Cor. III: *Ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat* (2). Atque hoc modo ex æquo sunt Apostoli fundamenta: id quod significatum credimus Apocalyp. XXI.

Altero modo dicuntur fundamenta Ecclesie Apostoli et Prophetæ, ratione doctrinæ a Deo revelatæ. Si quidem Fides Ecclesie nititur revelatione, quam habuerant a Deo Apostoli et Prophetæ: nec enim semper revelantur Ecclesie novi articuli, sed in ea doctrina Ecclesia acquiescit, quam Apostoli et Prophetæ a Domino didicerunt, et præ-

dicatione, vel litteris ad posteros mandaverunt. Atque hac ratione superædificamur ut Apostolus ait ad Ephes. II: *Supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum*. Nec in his duobus major est Petrus cæteris, sed ut Hieronymus ait, in omnes ex æquo Ecclesie fortitudo solidatur.

Tertio modo dicuntur fundamenta omnes Apostoli, ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt Capita, Rectores, et Pastores Ecclesie universæ, sed non eodem modo quo Petrus: illi enim habuerunt summam atque amplissimam potestatem ut Apostoli seu Legati, Petrus autem ut Pastor ordinarius: deinde ita habuerunt plenitudinem potestatis, ut tamen Petrus esset Caput eorum, et ab illo penderent, non e contrario.

Atque hoc est quod promittitur Petro, Matth. XVI cum ei soli coram aliis dicitur: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Id quod præter alios supra citatos docet Hierony in lib. I. contra Jovin. explicans enim, quid sit super Petrum ædificare Ecclesiam, sic ait: « Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesie fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio. »

CAPUT XII.

Quis sit ille, cui dicitur: Tibi dabo claves, Matth. XVI.

Tertia dubitatio est de persona cui dicitur: *Tibi dabo claves*. Tametsi enim Doctoribus Catholicis sensus horum verborum apertissimus videatur; tamen adversarii ita hæc ipsa verba depravant, ut videantur jam esse obscurissima. Quis, quæso, simpliciter legens: *Beatus es Simon Bar-Jona*, et statim: *Tibi dabo claves*, non diceret, Jonæ filio claves a Christo esse promissas?

At nihilominus Lutherus in lib. de potest. Papæ, Calvinus lib. IV Instit. cap. 6, §. 4 et sequentibus, Magdeburgenses Cent. I, lib. I et II passim, Liber Smalchaldicus de primatu Papæ, et alii omnes hujus temporis hæretici, nihil peculiare Petro filio Jonæ

promissum esse volunt: sed quidquid hic dicitur ad totam Ecclesiam pertinere cujus Ecclesie Petrus eo tempore personam gerebat.

Est autem animadvertendum, duobus modis potuisse Petrum personam Ecclesie gerere, historicæ et parabolice. Et quidem historicæ, is gerit personam alterius; qui re aliqua vere a se gesta rem ab alio gerendam significat et eam quodammodo representat: sic Abraham vere duos filios habens, Deum significavit, qui duos populos habiturus erat, ut Apostolus exponit ad Galat. IV, sic Martha sollicita circa frequens ministerium, et Maria sedens secus pedes Domini, duas vitas demonstrant, quarum altera in actione, altera in contemplatione versatur.

Parabolice, per unum aliud significatur, quando res vere gesta nulla proponitur, sed aliquid verisimile fingitur ad aliud significandum: quomodo in Evangelio, qui seminat bonum semen, Christum prædicantem significat. Ad quem modum etiam solent interdum Legati Principum urbium claves accipere, cum interim nihil sibi proprie acquirant, sed tantum Principis sui personam repræsentent.

Quibus ita constitutis, existimant adversarii, Petrum posteriore hac ratione significasse Ecclesiam cum a Domino audivit: *Tibi dabo claves*. Ex quo sequitur, claves datas esse primo ipsi Ecclesie, et per Ecclesiam Pastoribus communicari, atque hunc esse litteralem sensum hujus loci: « Tribuit igitur, » inquit Synodus Smalchaldica in lib. de Prim. Papæ, « principaliter claves Ecclesie et immediate, sicut et ob eam causam Ecclesia habet jus vocationis. »

Nos vero priore modo Petrum Ecclesie personam gessisse credimus: ita nimirum, ut ipse vere, et principaliter, ac (ut ipsi loquuntur) immediate claves acceperit, et simul eas accipiendo significaverit, universam Ecclesiam suo quodam modo postea accepturam. Quem modum paulo post explicabimus, nunc vero ita se rem habere breviter ostendamus.

Primum igitur tot modis Christus Petri personam designavit, ut non pluribus circumstantiis (quod recte Cajetanus annotavit) describere soleant aliquem certum hominem Notarii illi qui instrumenta publica conficiunt. Nam in primis expressit substantiam personæ singularis, per pronomen *tibi*: de-

inde addidit nomen inditum in nativitate, cum ait: *Beatus es Simon*: adjunxit nomen patris, cum ait: *Filius Jonæ*: nec omittere voluit nomen a se recens impositum: *Ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus*. Quorsum tam accurata descriptio, si nihil ipsi Petro proprie promittitur? Deinde non erat eo tempore Petrus Ecclesie Legatus, aut Vicarius: quis enim ejusmodi provinciam illi imposuerat? non igitur suscipere nomen, nomine illum Ecclesie, et non potius suo, claves accepisse.

Præterea illi proprie claves promittuntur a Christo, qui dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; id enim significabant illa verba: *Et ego dico tibi*, et ut S. Hieronymus dicit mercedem recepit vera confessio: at illam præclaram confessionem Petrus edidit, et in persona sua edidit; in persona igitur sua clavium promissionem accepit.

Ad hæc, si propterea negandum est Petro promissas esse claves, quia figuram gerebat Ecclesie; eadem certe ratione negabimus, Abrahamum duos filios habuisse, quia duo illi filii duos populos, Apostolo teste, significabant. Neque verum esse fatebimur, Martham sollicitam fuisse circa plurima, dum soror ejus Maria ad pedes Domini sederet, quia nimirum actionem, et contemplationem duæ illæ femine adumbrabant. Quod si grave est tam apertas historias in dubium revocare; grave etiam videri debet dubitare, sitne Petro aliquid singulariter promissum, cum tam perspicue id narretur in Evangelica historia.

Denique illi dictum est a Domino: *Tibi dabo claves regni celorum*, qui paulo post ab eodem Domino audivit: *Vade post me Satana, scandalum es mihi*, atque hæc posteriora verba soli Petro, et in persona propria dicta sunt, ut ex Evangelio non obscure colligitur, et ipse quoque Lutherus docet in lib. de potest. Papæ. Quis igitur inficiari potest, Petro claves in persona propria esse promissas.

Sed fortasse non eidem dictum est: *Tibi dabo claves, et Vade post me Satana*: imo vero prorsus eidem: nam et in eodem cap. Evang. habetur utrumque, et utrobique Petri nomen utrimque, et in hanc sententiam veteres Patres omnes conveniunt. Certe Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, et Theophylactus in cap. XVI Matth. diserte docent, eisdem Petro dici: *Tibi dabo claves*, cui dicitur: *Vade post me*.

(1) Psal. LXXXVI, 1; Apoc. XXI, 14; Eph. II, 20. — (2) Rom. XV, 20; I. Cor. III, 10.

Nam etsi Hilarius in hunc locum non sit ausus verbum *Satanas* referre ad Petrum; tamen ad Petrum refert ea quæ præcedunt, id est, *Vade post me*. Et ipse idem lib. VI et X de Trin. et Psalm. CXXXI etiam verbum *Satanas* refert ad Petrum: «Tanta, inquit, ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum Filii Dei confessorum, Ecclesie fundamentum, cœlestis regni janitorem, et in terreno iudicio iudicem cœli Satanæ convicio nuncuparet.» Et Augustinus lib. I cont. duas epist. Gaud. cap. 31: «Numquid melior, inquit, Razias quam Petrus Apostolus, qui tibi dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, tam beatus a Domino appellatus est, ut claves regni cœlorum accipere mereretur, nec tamen ideo creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehensus audivit: Vade post me Satana, non sapis quæ Dei sunt etc.»

Simile est quod ait Ambrosius I. de Isaac, cap. III, ubi exponens illa verba Domini ad Petrum, Jo. XIII: *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea* (1): «Claves, inquit, commiserat regni cœlorum, et sequendo se imparem indicavit.» Ubi clarissime B. Ambrosius eidem omnino vult esse, commissas claves, cui dictum est, non potes me modo sequi, sequeris autem postea; constat autem hæc verba dicta esse Petro in persona propria, quemadmodum in persona propria vere crucifixus, et moriendo Christum est secutus.

At contra objicit Lutherus hæc argumenta in lib. de potest. Papæ. Primum. Petro certum est a Domino dictum esse: *Vade post me Satana, non sapis quæ Dei sunt*: at non conveniunt hæc illi, cui Pater revelavit secreta cœlestia, et qui claves regni cœlorum accepit; igitur non in persona propria, sed in persona Ecclesie audivit revelationem cœlestem, et accepit claves regni cœlorum.

Respondemus: eidem personæ illa omnia convenire, ut jam a nobis demonstratum est, sed non eadem ratione. Petrus enim ex Dei munere habet revelationem, et accipit claves: ex propria autem infirmitate offenditur de passione et morte Christi. Neque moveat nos debet nomen *Satanæ*: nec enim Diabolus significat sed adversarium; siquidem אבדן apud Hebræos nihil est aliud, quam adversari. Itaque licet Diabolus passim

Satanas appelletur, non tamen ubique nomen Satanæ Diabolum designat.

Secunda obiectio. Petrus nomine omnium Discipulorum dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, igitur nomine omnium audivit, *Tibi dabo claves*. Porro nomine omnium Petrum Christo respondisse, satis constat, tum ex Chrysostomo, qui in hunc locum scribit, Petrum fuisse os apostolorum et ex Hieronymo, qui ait, Petrum pro omnibus esse locutum: et ex Augustino, qui Serm. 13 de verb. Dom., dicit, unum pro omnibus respondisse: tum etiam ex eo quod omnes discipulos Christus interrogavit: *Vos autem quem me esse dicitis?* Nam vel sunt accusandi omnes discipuli, quod non responderint interrogati, vel, quod credibilis est, Petrus nomine omnium respondit.

Respondeo: Petrum respondisse nomine omnium non ut præconem aliquem, sed ut Principem et Caput atque os, ut Chrysostomus loquitur, Apostolorum; ipse enim solus respondit, cum ignorarent cæteri quid potissimum responderet, sed Petri confessionem silentio suo approbarunt et eo modo per os Petri omnes responderunt. Quemadmodum igitur Petrus solus respondit, et cæteri assenserunt: ita Christus soli Petro claves promisit, sed tamen post eum etiam cæteris communicandas.

Id vero ita esse, hæc ratione comprobamus. Si nomine omnium Petrus respondisset, vel id fecisset, quod cæteri hanc illi provinciam demandassent vel quod sciret quid illi responsuri essent: neutrum autem est verum. Non Primum, quia ex revelatione Patris hoc didicit, non ex consultatione humana, ait enim Dominus: *Caro et sanguis non revelavit tibi etc.* Non secundum, quia soli ipsi facta est revelatio. Item, quia si scisset mentem aliorum, aliquo modo hoc indicasset, quomodo fecit J. VI, cum ait: *Ad quem vultis? verba vitæ æternæ habes*. Et, *Nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei*. In quem locum Chrysostomus notat, quod Petrus pro omnibus dixerit, et nos credimus etc. ideo Christum monuisse, id non esse verum de omnibus. Nam Judas non credebat: *Nonne ego, inquit, vos duodecim elegi, et unus ex vobis Diabolus est?* At cum Petrus dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, quia non fecit mentionem aliorum, Petri confessionem Dominus simpliciter approbavit.

Accedant testimonia veterum Patrum, qui non obscure docent, Petrum ita primum esse locutum, ut nesciret quidem quid alii de eare sentirent. Hilarius in hunc locum: «Dignus, inquit, iudicatus est, qui quod in Christo Dei esset, primus cognosceret etc.» Si primus, igitur non simul aliis facta revelatio est. » Et lib. VI. de Trin. «In cunctorum, inquit, Apostolorum silentio, Dei Filium revelatione Patris intelligens etc.» Et ibidem: «Locutus est, inquit, quod vox humana non dum protulerat.»

Chrysostomus hom. 55. in Matth. «Quandoquidem de sententia vulgi pelebatur, omnes responderunt: cum vero de sua eos rogaret, Petrus confestim præsilivit ac præveniens, ait: Tu es Christus Filius Dei vivi.» Cyrillus lib. XII. in Jo. cap. 64. » Ut Princeps, inquit, caput que cæterorum primus exclamavit: Tu es Christus filius Dei vivi.» Augustinus serm. 124. de tempore: «Hic est, inquit, Petrus, qui divina revelatione primus omnium veritatem meruit confiteri, dicens: Tu es Christus etc.»

Leo serm. 41. de Pass. Dom., «Merito, inquit, B. Apostolus Petrus in hujus unitatis confessione laudatus est, qui, cum Dominus quid de ipso intelligerent discipuli scrutaretur; omnium celerrime ora præveniens: Tu es, inquit, Christus filius Dei vivi.» Et ser. 2 de SS. Petro et Paulo, «Tandem respondentium sermo communis est, quamdiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur: at ubi quid habeat discipulorum sensus exigitur; ille primus est in Domini confessione qui primus est in Apostolica dignitate.» Ex his testimoniis manifeste colligitur, non alia ratione Petrum pro omnibus respondisse, quam quod Petri sententiæ cæteri omnes facile assensu sunt.

Obiectio tertia. Claves promittuntur Petro, non ut est filius Jonæ, sed ut est cœlestis Patris auditor; proprie igitur Patris cœlestis auditori, non carni et sanguini promittuntur. De nullo autem certo homine nobis constat, sitne is verus Patris auditor: Ecclesiam vero certissimus sumus ab ore Dei Patris assidue pendere; igitur non alicui certo homini, sed Ecclesie promissæ sunt claves.

Respondeo: hoc Lutheri argumentum mirifice pugnare cum ipsis verbis Evangelii: Christus enim dicit: *Beatus es Simon Bar-Jona. Et paulo post, et tibi dabo claves*: Lu-

therus autem dicit, non sunt datæ vel promissæ claves Simoni Bar-Jonæ. Rursus Christus dicit: *Revelavi tibi Pater meus quia in cælis est*: Lutherus autem dicit, de nullo certissimo an Patrem audiat, proinde nec de Petro. Falsum igitur est, vel incertum, quod Christus ait: *Revelavi tibi Pater*. Quod enim Petro revelavit Pater, si nihil Petrus audivit? Si vero Petrus audivit, et certum est testimonium Christi, certum etiam esse debet, Petro cœlestis Patris auditori claves esse datas.

Deinde esse Patris auditorem, non est formalis ratio cur dentur claves; alioqui penderet Ecclesiastica potestas a prohibita ministrorum, quæ est hæresis Donatistarum, quam etiam in confessione Augustana, cap. de Eccles., rejici vidimus, sed occasio fuit seu causa meritoria illa præclara Petri confessio, cur ipsi potius quam alii claves promitterentur, ut ex commentar. Hilarii, Hieronymi, Chrysostomi, ac Theophylacti colligitur.

Obiectio quarta, B. Paulus in ep. ad Rom. cap. IV. dicit: *Quomodo Abraham reputata est Fides ad justitiam*, (1) ideo etiam omnibus qui crediderint reputandam esse Fidem ad justitiam; igitur eodem modo, si quia Petrus confessus est Christum Filium Dei vivi accepit claves, certe omnes Fideles, qui Christum confitentur, habent claves. Hoc argumentum inquit Lutherus, est similis formæ cum argumento Pauli, nec potest refelli, nisi etiam Pauli argumentum refellatur. Respondeo cum Cajetano: hoc argumentum esse similis formæ, sed dissimilis materiæ, ac propterea nihil concludere. Nam Fides natura sua dicit ad justitiam, et justum ex injusto, vel ex justo justiore, facit, si cætera non desint, quæ simul cum Fide ad justificationem requiruntur. At confessio Fidei non dicit naturæ suæ ad claves accipiendas, sed cum posset sexcentis modis remunerari confessio Petri, placuit Christo dono clavium id facere. Et simile aliquid videmus in exemplo Abraham: siquidem Abraham pro Fidem non solum justificatus est, sed etiam meruit fieri pater multarum gentium, ut ibidem Apostolus dicit, nec tamen omnis qui credit, fit pater multarum gentium. Nimirum, non est per se et naturaliter connexa Fides cum dono clavium, aut fecunditatis, quemadmodum est per se, et naturaliter connexa cum justitia.

(1) I. Joan. XIII, 36.

(1) Rom. IV, 9 et 10.

Obiectio quinta: Aut moriente Petro manserunt in Ecclesia claves, aut cum Petro perierunt: si primum: ergo Ecclesiae datae fuerant; si secundum: ergo non amplius possunt nunc homines solvi aut ligari.

Item alio modo: vel cum eligitur Pontifex adfert secundum claves, vel non: si primum: ergo erat Pontifex antequam fieret: si secundum: unde ergo habet claves? num ab aliquo Angelo deferuntur ei de caelo? an potius accipit ab Ecclesia, cui a Christo initio traditae sunt?

Respondeo: moriente Pontifice claves non perire, nec tamen remanere formaliter in Ecclesia, nisi quatenus communicatae sunt inferioribus ministris, sed manere in manibus Christi. Cum autem eligitur novus Pontifex, neque adferri ab eo claves, nec illi dari ab Ecclesia, sed a Christo, non nova traditione, sed antiqua institutione: Siquidem Petro eas cum dedit, omnibus ejus successoribus dedit.

Simile esset, si Rex aliquis cum Prorogem provinciae imponit, ediceret simul, placere sibi, ut eo mortuo, alium ipsi eligerent ac nominarent, sequere illi jam nunc eandem potestatem concedere, quam priori concessisset.

Obiectio sexta Lutheri et Calvini, in locis antea notatis ejusmodi est: Matth. XVI claves regni caelorum non dantur, sed promittuntur: dantur autem Matth. XVIII et Jo. XX, in quibus locis, non uni Petro, sed Apostolis omnibus dantur. Nam Matth. XVIII dicitur: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligatae in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Et Jo. XX: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* (1) Igitur et cum promittuntur, non uni, sed omnibus promittuntur.

Respondeo: de posteriore loco nullam esse difficultatem: nam certum est, non dari per illa verba omnem potestatem clavium, sed tantum potestatem Ordinis ad remittenda peccata: siquidem hoc loco determinatur potestas ad peccata, Matth. XVI non determinatur, sed dicitur: *Quaecumque ligaveris etc.* ligantur autem homines non solum peccatis, sed etiam legibus. Deinde minus est retinere peccatum, quam ligare peccatorem: nam jta generaliter hic dicitur: *Quaecumque*

statu, sive non solvere: ligare autem est novum vinculum ei imponere, quod fit per excommunicationem, interdictum, legem etc. Denique Patres disertè asserunt, dari hic potestatem remittendi peccata per Sacramenta Baptismi et Penitentiae. Vide Chrysostomum et Cyrillum in hunc locum, et Hieronymum in epist. ad Hedibiam, quaest. 9.

De priorè loco major est difficultas et quidem Origenes in comment. hujus loci contendit, non tradi hoc loco Ecclesiasticam potestatem, sed correptionem fraternam commendari; atque cum hoc loco solvere qui admonitione sua causa est, ut peccator respiscat, et per debitam penitentiam solvatur a vinculis peccatorum; eum autem ligare, qui denuntiatione sua causa est, ut peccator habeatur tanquam Ethnicus et Publicanus. Sed ibidem addit Origenes, non esse idem quod hoc loco habetur, cum eo, quod habetur Matth. XVI, quae Origenis explicatio non videtur admodum probabilis, tamen ex ea satis aperte colligitur, Origenem Lutheranis nullo modo favere.

Alia est expositio Theophylacti, qui existimat, verba Domini dirigi ad eos, qui injuriam patiuntur, eos autem ligare, dum injuriam retinent; solvere dum remittunt, quae sententia non est usque adeo vera. Nam vel qui injuriam accepit, remittit penitenti, vel non penitenti: si primum; tunc erit quidem ille solutus in caelo, sed non propterea quod iste remittat, nam etiamsi nollet remittere, esset ipse solutus in caelo: si secundum; tunc non est solutus in caelo, quem iste solvit in terris: atque idem de alligatione dicit potest; quamvis autem vera esset sententia, nihil tamen officeret causae nostrae; certum est enim Petro aliquid aliud datum, quam ut remittat injurias sibi factas. Est ergo communis expositio Hilarii, Hieronymi, Anselmi, et aliorum in hunc locum, necnon Augustini tract. 22. et 49. in Jo. Dominum loqui de potestate clavium, qua Apostoli, et eorum successores ligant vel absolvent peccatores.

Et quamvis hic tractari videatur praecipue de potestate jurisdictionis, quae peccatores excommunicantur: tamen Patres jam nominati locum hunc de utraque potestate: Ordinis videlicet et jurisdictionis exponunt: et certe videtur ex ipso textu, id posse deduci, non jta generaliter hic dicitur: *Quaecumque*

solveritis etc. Sicut Matth. XVI: *Quaecumque solveritis.* Sed si haec ita se habent; quid adversarii respondebimus? nonne id quod soli Petro promissum videbatur, jam omnibus Apostolis datur?

Thomas Cajetanus in tract. de instit. et auct. Rom. Pont. cap. 5. docet, non esse idem claves regni caelorum, et potestatem solvendi et ligandi: claves enim regni caelorum includere potestatem, tam Ordinis, quam jurisdictionis, quae significantur per actiones ligandi et solvendi; et aliquid praeterea amplius, cum latius patere videatur aperire et claudere, quam solvere et ligare.

Verum haec doctrina subtilior quam verior nobis esse videtur. Inauditum est enim, in Ecclesia esse alias claves, quam Ordinis, et jurisdictionis. Et planus sensus illorum verborum: *Tibi dabo claves, et quaecumque solveris super terram etc.* iste est, ut primo promittatur auctoritas seu potestas designata per claves, deinde et actiones sive officium explicatur per illa vocabula solvere et ligare, ita ut omnino sit idem solvere et aperire, claudere et ligare. Expressit vero Dominus clavium actiones per solvere et ligare, non per claudere et aperire, ut intelligeremus, esse omnes istas metaphoricis locutiones, et tum demum caelum hominibus aperiri, cum homines solvantur a peccatis, quae ingressum in caelum prohibebant.

His igitur sententiis praetermissis, asserimus illis verbis quae habentur Matth. XVIII, nihil dari sed tantum promitti vel explicari ac praedici, quantam potestatem essent Apostoli eorumque successores suo tempore habituri. Primum enim planum est, Apostolos non esse factos sacerdotes nisi in ultima aetate, neque Episcopos et Pastores nisi post resurrectionem; proinde quo tempore haec Dominus loquebatur, privati homines erant, nec ullam habebant Ecclesiasticam potestatem.

Deinde si his verbis *Quaecumque ligaveritis erunt ligata*, datur recipi potestas ligandi, etiam illis verbis: *Quaecumque ligaveris erit ligatum etc.* erit data, non promissa potestas; sunt enim verba omnino similia: at fatentur adversarii, per illa verba *Quaecumque ligaveris* nihil esse datum, sed tantum promissum; igitur et per ista *Quaecumque alligaveritis* nihil datur, sed tantum promittitur. Causa vero hujus promissionis fuit, quia dixerat

Dominus, habendum esse pro Ethnicis et Publicanis, qui Ecclesiam non audiret, ne quis ergo putaret, contemnendam Ecclesiae auctoritatem, subjuncti, tantam fore Praelatorum Ecclesiae potestatem, ut quae ipsi ligaverint in terris, sint ligata et in caelis.

Dices: si non sunt Apostolis datae claves hoc loco, sed tantum promissae, quo tandem loco sunt datae? Respondeo: datae esse, Jo. XX et XXI. Nam Jo. XX, cum Dominus ait Apostolis: *Pax vobis: sicut misit me Pater et ego mitto vos* (1), tum eis potestatem seu clavem jurisdictionis attribuit; fecit enim his verbis eos quasi Legatos, et nomine suo Gubernatores ecclesiae; verbis autem sequentibus: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata etc.* (2) dedit eisdem potestatem Ordinis, ut supra diximus.

Ut autem intelligeremus, hanc summam potestatem collatam Apostolis omnibus ut Legatis, non ut Pastoribus ordinariis, et cum quadam subiectione ad Petrum, soli Petro dicitur, Jo. XXI: *Pasce oves meas*, quemadmodum soli illi dictum erat: *Tibi dabo claves*. Claves enim regni ut principalis et ordinarius Praefectus tunc solum accepit, cum audivit: *Pasce oves meas*; tunc enim etiam Apostolorum fratrum suorum cura ei commissa est.

Et propterea etiam, quemadmodum Matth. XVI in promissione clavium *Simon Bar-Jona* appellatus est; ita quoque in exhibitione Jo. ult. *Simon Joannis*, vel, ut est in Graeco, *Simon Jona* dictus est. Et sicut Matth. XVI non ante sunt ei claves promissae, quam Fidem suam singularem in Christum testaretur: ita Jo. ult. non ante dictum est illi: *Pasce oves meas*, quam interrogatus esset, num plus caeteris Christum diligeret. Et sane nulla causa erat, cur ita singulariter Petro diceretur: *Tibi dabo claves*; et *Pasce oves meas*; atque id ob singularem ejus Fidem et dilectionem, si nihil praeter caeteros accepturus erat. Recte igitur S. Leo in epist. 89. ad Episcopos Viennensis provinciae, scribit, Petro praeter caeteris solvendi ac ligandi traditam potestatem.

Obiectio ultima Lutheri et Calvini ex Patrum testimoniis sumitur. S. enim Cyprianus in lib. de simplice Praelat., sive de unit. Eccl. docet, non alia de causa datae Petro seorsim claves, quae postea datae sunt omnibus, quam ut unitas Ecclesiae significaretur:

(1) Matth. XVIII, 18; Joan. XX, 22 et 23.

(1) Joan. XX, 21. — (2) Joan. XX, 22.

« Hoc, inquit, erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio præditi, et honoris, et potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petri datur, ut Ecclesia una monstretur. » S. etiam Hilarius lib. VI de Trin. ita loquitur: « Vos o sancti et beati viri, ob Fidei vestrae meritum claves regni cælorum sortiti, et ligandi atque solvendi in cælo et in terra jus adepti etc. »

S. Hieronymus lib. I. in Jovin. « At dicis, inquit, super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti accipiant etc. » S. Augustinus tract. 50. in Jo. : « Si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: Tibi dabo claves regni cælorum. Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia: si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. » Similia habet tract. ult. in Jo. Item in Psal. CVIII et lib. I. doctr. Christ. cap. 18. et lib. de agone Christ., cap. 30. Denique S. Leo sermon. 3. de annivers. assumpt. suæ ad Pontif., explicans hæc ipsa verba: *Tibi dabo claves etc.* « Transivit, inquit, in alios Apostolos vis potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeevit. »

Respondeo; S. Cyprianum, cum dicit Apostolos fuisse pares honore et potestate, nihil dicere adversus sententiam nostram: fateatur enim, Apostolos fuisse pares in Apostolica potestate, et habuisse in populos Christianos eandem omnino auctoritatem, sed non fuisse pares inter se: id quod S. Leo in epist. 84. ad Anastas. Episc. Thessal., quasi explicans ista verba Cypriani, docet: « Inter beatissimos, inquit, Apostolos, in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præmineret. »

Quod idem S. Cyprianus ibidem et alibi passim docet. Nam cum ait: « Exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur, » non intelligit prius ordine temporis hæc potestatem datam esse uni Petro, quam cæteris, ut per illum significaretur unitas Ecclesiæ: sed cepisse Ecclesiam in uno Petro, tanquam in fundamento et Capite, ut ex eo quod Ecclesia unum haberet fundamentum et Caput, una tantum esse monstraretur: sicut una domus dicitur ab uno fundamento, et unum corpus ab uno capite.

Hanc vero sententiam esse Cypriani verborum, primum ex eo probatur, quod falsum est, temporis ordine prius datam esse Petro quam cæteris Ecclesiasticam potestatem: nam omnibus data est, Jo. XX, soli autem Petro postea dictum est: *Pascite oves*, Jo. XXI. ergo exordium profectum ab uno non intelligitur, quia uni prius date sint claves, sed quia uni tantum datæ sunt ut ordinaro, et primo Pastori et Capiti cæterorum.

Deinde idem probatur ex verbis ipsius Cypriani: nam in hoc ipso lib. de simplic. Prælat., explicans Ecclesiæ unitatem, et qua ratione exordium fieret ab uno Petro; scribit Ecclesiam esse unam eo modo, quo omnes radii Solis dicuntur unum lumen, quia ab uno Sole manant: et multi rivi una aqua, quia ab uno fonte derivantur: et multi rami una arbor, quia ab una radice omnes pullulant.

Porro hæc radicem et hunc fontem, unde unitas Ecclesiæ sumitur, Petri Sedem esse, nullis in locis Cyprianus docet, lib. I. ep. 3. ad Cornel.: « Navigare, inquit, audent ad Petri Cathedram, et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. » Quid clarius? Et lib. IV. epist. 8. ad Cornelium, de Cathedra Petri loquens: « Scimus, inquit, hortatos nos esse ut Ecclesiæ Catholice matricem et radicem agnoscerent ac tenerent. » Et in epist. ad Jubajan.: « Nos, inquit, Ecclesiæ unius Caput et radicem tenemus. » Et infra, explicans quæ sit hæc radix, ait: « Nam Petro primum Dominus, super quem ædificabit Ecclesiam, et unde universitatis originem insituit et ostendit, potestatem istam dedit. » Et infra: « Ecclesia quæ una est, super unum qui claves ejus accepit, voce Domini fundata est etc. » Ubi clare videt, Ecclesiam dici unam, quia super unum Petrum fundata est.

Jam ad testimonium Hilarii fateamur, omnes Apostolos accepisse claves, sed non eodem modo quo Petrum. Quare idem Hilarius ibidem scribit, Petrum, quia solus respondit cunctis Apostolis silentibus, supereminentem, Fidei suæ confessione, locum promeruisse; habuit ergo Petrus inter Apostolos locum supereminentem, si Hilario credimus; et in cap. XVI Matth. singulariter de Petro dicit: « O beatus cæli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur. »

Ad Hieronymum dico: solutionem esse in eodem loco: nam Hieronymus dicit, sic habuisse claves omnes Apostolos, ut tamen subiecti essent Petro Capiti.

Ad Leonem dico: transivisse quidem in alios multos eam auctoritatem solvendi et ligandi, sed tamen Petro principaliter datam.

Nam idem Leo ibidem ait: « Si quid cum eo commune cæteris Christus voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum Petrum dedit, quidquid aliis non negavit. » Et in epist. 89. ad Episc. Viennen. prov.: « Petro inquit, præ cæteris solvendi et ligandi tradita est potestas. »

Restant Augustini testimonia, quæ ut diligentius explicentur, tria sunt annotanda. Primum est, Augustinum, cum ait Petrum gessisse figuram Ecclesiæ quando claves accepit, historice hoc accepisse, non parabolice, ita ut nullo modo negandum putaverit revera Petrum in sua persona claves accepisse. Id patet ex tract. in Psal. CVIII, quem locum Lutherus objicit: ibi enim Augustinus dicit, ita Petrum fuisse figuram Ecclesiæ quando accepit claves, sicut Judas fuit figura ingratorum Judæorum quando Christum prodidit: at certum est historice revera Judam in persona Christum prodidisse.

Item tract. ult. in Jo. dicit Augustinus sic Petrum gessisse personam Ecclesiæ militantis et vitæ activæ, quando audivit: *Sequere me*: et: *Alius cinget te, et duces quo tu non vis*: et quando accepit claves regni, sicut Joannes gessit figuram Ecclesiæ triumphantis et vitæ contemplativæ, quando recubuit supra pectus Domini, et quando de eo dictum est: *Sic eum volo manere*. At certum est, Joannem historice et vere in propria persona recubuisse supra pectus Domini, et ad litteram impletum in illo: *Sic eum volo manere*, sive sit mortuus, sive non sit mortuus violenta morte, sive quid aliud intelligatur per ea verba: nec minus certum est ad litteram, in persona sua Petrum audivisse: *Alius cinget te etc.* igitur historice quoque debet intelligi, Petrum accepisse claves.

Denique lib. XV de Trin. cap. 26. Augustinus dicit, Christum gessisse figuram Ecclesiæ quando baptizatus est: et tamen sine dubio, vere et ad litteram baptizatus est; non igitur apud Augustinum excluditur historica narratio, cum unum alterius figura esse dicitur.

At, inquit, Augustinus in Psal. CVIII sentire videtur, non posse intelligi omnia de persona Judæ, quæ dicuntur in illo Psalmo; et ideo oportere multa exponere de Juda,

ut personam gerebat impiorum. Et tract. ult. in Jo. Augustinus figurate exponit quæ dicuntur de Petro et Joanne, quoniam non videntur eorum personis proprie convenire. Nam de Petro scribitur, quod plus dilexerit Christum quam Joannes, et contra scribitur de Joanne, quod plus fuerit a Christo dilectus quam Petrus, quæ ad litteram non possunt esse vera, cum Christus sit justus, et semper diligat eos amplius, a quibus amplius diligitur, igitur Augustinus cum aliquid exponit de Petro ut Ecclesiæ personam gerebat, ideo id facit, quoniam existimat illud Petro non proprie convenire.

Respondeo: Augustinum nusquam dicere, non esse vera ad litteram quæ dicuntur de Juda, vel de Petro et Joanne in Scripturis: neque enim tam imperitus aut impius erat Augustinus ut negare vellet, Joannem historice recubuisse supra pectus Domini: vel de ipso ad litteram dictum: *Hic est discipulus quem diligebat Jesus*: vel Petro ad litteram dictum: *Simon Joannis, anas me plus his?* vel illud: *Sequere me*. Non itaque negat Augustinus, ad litteram posse et debere intelligi quæ dicuntur de Juda, Petro, et Joanne, sed tantum dicit, litteralem sensum sæpe esse obscurum, et non facile inveniri: sensum autem mysticum esse multo illustriorem et clariorem, et propterea se, omisso litterali, figurate ea loca exponere voluisse.

Secundo loco observandum est, S. Augustinum, cum ait Beatum Petrum in persona Ecclesiæ accepisse claves, non velle significare ab eo claves revera et historice esse acceptas, sicut a Vicario quodam seu Legato Ecclesiæ, quemadmodum a Legato Regis, nomine Principis sui, claves accipi solent alicujus civitatis: sed potius ut a Principe et moderatore totius Ecclesiæ, quo pacto dicimus, regno dari, quod Regi ipsi datur, præsertim si id in publicam utilitatem cedat.

Hanc autem S. Augustini mentem, ac sententiam esse, ex eo manifeste colligitur, quod ipse fere ubicumque dicit Petrum fuisse figuram Ecclesiæ, explicat se hoc dicere ratione primatus, tract. ult. in Jo. « Cujus Ecclesiæ, inquit, Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. » In Psal. CVIII: « Cujus (Ecclesiæ) ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum quem in discipulis habuit. » Serm. 13 de verb. Domini: « Petrus, inquit, a petra cognominatus, Beatus, Eccle-

sie figuram portans, Apostolatus principatum tenens.»

Observandum postremo est, duobus modis Petrum propter suum primatum gessisse figuram Ecclesiae apud Augustinum. Primum enim Petrus ut summus Ecclesiae Praesul accipiens claves, significavit, omnes Praesules eandem habituros esse claves, sed a Petro, nec sine mensura communicatas: non enim Petrus eas accepit, ut solus ipse illis uteretur, sed ut eas cum omnibus Episcopis et presbyteris communicaret, Apostolis videlicet dumtaxat exceptis, qui extraordinaria quadam ratione eas a Christo immediate acceperunt, ut alibi diximus.

Itaque primum figura fuit Petrus totius cœtus Ecclesiasticorum ministrorum, et hoc sibi voluit August. tract. 30. in Jo. cum ait: « Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia: si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.» Ex quo loco Calvinus abstulerat illud Tantum, ut nobis persuaderet, Petro nihil esse dictum vel datum, nisi quatenus Ecclesiam significabat.

At Augustinus non ait: si hoc Petro dictum est, non facit hoc Ecclesia, sed ait: « Si hoc Petro tantum dictum est etc.» et sensus eorum verborum est: si ita dictum est soli Petro: *Tibi dabo claves*, ut ipse solus debeat solvere et ligare; sequitur, Ecclesiam reliquam, id est, reliquos ministros hoc non facere: si autem etiam alii hoc faciunt, ut videmus, certe Petrus cum claves accepit, universam Ecclesiam representavit.

Altero modo idem Petrus accipiens claves, figura fuit totius Ecclesiae sanctae, id est, omnium iustorum et vivorum membrorum corporis Christi: nam B. Augustinus propter Donatistas excogitavit novum modum loquendi de clavibus et remissione peccatorum; praeter enim eum modum loquendi, quo dicimus, a Sacerdotibus remitti peccata in administratione Sacramentorum Baptismi et poenitentiae, quo modo loquendi ipse cum ceteris Patribus passim ulitur: solet etiam frequenter dicere, peccata remitti a charitate Ecclesiae, a gemitu columbae, ab orationibus Sanctorum; et hoc modo claves regni esse tantum iustorum, et hoc significasse Petrum cum accepit claves.

Tract. 121. in Jo.: « Ecclesiae, inquit, charitas, quae per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccato dimittit: eorum autem, qui non sunt

ejus participes, tenet.» Item lib. III de Baptis. c. 18: « Remissam, inquit, peccatorum non dabant, quae per orationes Sanctorum, id est, per columbae gemitus datur, quicumque baptizet, si ad eius pacem illi pertinet, quibus datur. Non enim raptoribus et feneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur illi, si cui teneritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid potest nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit aut solvere: sed solvitur, qui cum columba fecerit pacem et ligatur qui cum columba non habet pacem.» Et cap. 17: « Nam quod in typo unitatis Dominus Petro dedit potestatem, ut id solveretur in ferris, quod ille solvisset, manifestum est, quod illa unitas etiam una columba perfecta sit dicta.» Et infra: « Per orationes Sanctorum spiritualium, qui sunt in Ecclesia, tanquam per columbae creberrimum gemitum magnum geritur Sacramentum, et occulta dispensatio misericordiae Dei, ut eorum etiam peccata solvantur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur, si ad illud Sacramentum cum pace Catholicae unitatis accedunt.» Similia vide lib. V de Baptis. cap. 21. lib. VI, cap. 3. et lib. VII, cap. 51.

Ceterum per haec verba non significat S. Augustinus Ecclesiam iustorum, ex auctoritate peccata remittere, sed nemini peccata remitti, quantumvis baptizetur vel reconcilietur, nisi ad eum extendatur charitas Ecclesiae, et fiat membrum vivum columbae, et proinde particeps orationum aliorum iustorum. Orationibus enim Sanctorum tanquam gemitu columbae impetratur poenitentia interiore, et charitas, per quam formaliter justificatur quicumque justificatur.

Excogitavit autem hunc modum loquendi B. Augustinus propter Donatistas, quibus mirabile videbatur, haereticos posse per Baptismum homines justificare, et in Ecclesiam introducere, cum sint ipsi cooperi peccatis, et extra Ecclesiam. Ad hanc admirationem tollendam dicit Augustinus, non tam eum qui baptizat remittere peccata, quam gemitu columbae; quoniam non ideo iste qui baptizatur justificatur, quia ab isto vel illo baptizatur, sed quia per Baptismum a quocumque exhibitum in eum extenditur charitas Ecclesiae.

CAPUT XIII.

Quid intelligatur per claves, Matth. XVI.

Superest quartum: quid nimirum intelligatur per claves: nam Calvinus Institut. lib. IV, cap. 6, §. 3. et cap. 11, §. 1. contendit, non esse datum Petro principatum Ecclesiae, etiam si convinci possit, illi soli datas claves regni caelorum: et probat hac ratione.

Quid sit solvere et ligare, Dominus exposuit, Jo. XX, cum dedit Apostolis auctoritatem remittendi, et retinendi peccata: solvere enim est remittere peccata, ligare est retinere. Quomodo autem remittantur et retineantur peccata, et liberari de pravitate illuminari homines, et liberari de pravitate vitiorum. II. Corinth. V: *Posuit in nobis verbum reconciliationis; pro Christo et ego legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (1).

Itaque ille remittere dicitur peccata, qui annuntiando Evangelium homines convertit ad Deum: ille dicitur retinere, qui eos, quos videt obstinatos, declarat sempiternis poenis esse mancipandos. Ex quo sequitur, accipere claves regni caelorum, non esse accipere principatum vel potestatem in alios, sed nudum ac solum ministerium verbi. Quam expositionem dicit Calvinus esse, non argutam, non coactam, non detortam, sed germanam, fluentem, obviam.

Magdeburgenses Cent. II, lib. II, c. 7, col. 326, idem probant alia ratione: quia nimirum si his verbis fuisset Petro datus, vel promissus primatus; Apostoli non dubitassent postea, quis eorum videretur esse major: at de hoc quaesierunt, Matth. XVIII, Marc. IX, Luc. IX, et Luc. XXII. Et praeterea Dominus saltem respondisset: Nolite alterius ligare, nam Petrum constituit principem. Nihil autem ejusmodi Dominus respondit; igitur promissio illa clavium nihil ad primum facit.

At nos et Catholici omnes per claves da-

tas Petro, intelligimus summam potestatem in omnem Ecclesiam: et id tribus rationibus confirmamus. Primum ipsa metaphorica clavium, ut in Scripturis accipi solet: siquidem Isa. XXII. describitur depositio unius summi Pontificis, et insinatio alterius his verbis: *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Solomon Propositum Templi, et dicces ad eum: Quid tu hic? Et infra: Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: vocabo seruum meum Eliacim filium Helciae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi Pater habitantibus Hierusalem, et domui Juda. Et dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat* (2).

Hic aperte per claves non intelligitur remissio peccatorum, aut ministerium verbi, sed principatus Ecclesiasticus. Quo etiam pertinet illud Isa. IX: *Factus est principatus ejus super humerum ejus* (3). Idcirco enim dicitur principatus super humerum impositus, quoniam claves, quibus principatus designatur, super humerum poni solebant. Neque per claves Christi principatum significari, negare potest, qui legit illud de Christo, Apoc. III: *Haec dicit sanctus, et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit* (4).

Accedit etiam communis consuetudo, etiam in rebus profanis: quando enim urbes deduntur alicui principi, offerunt ei claves in signum subjectionis, et ei qui instituitur economicus in domo claves tradi solent.

Secundo probatur verbis illis: *Quicumque ligaveris etc.* nam in Scripturis ligare dicitur qui praecipit et qui punit. De praecipis loquitur Dominus, Matth. XXIII: *Alligat, inquit, onera gravia et importabilia in humeros hominum etc.* De poenis, Matth. XVIII: *Quicumque alligaveris super terram etc.* (5). Hic enim, etiam Calvino teste, loquitur Dominus de censura excommunicationis: ligat enim Ecclesia eos quos punit poena excommunicationis. Hinc etiam communiter dicimus, homines obligari ad legem servandam, et etiam obligari ad poenam subeundam, si eam non servant. Solvere autem dicitur, qui remittit peccata, qui liberat a poena, qui dispensat in lege, in votis, juramentis, et similibus ob-

(1) II. Cor. V, 19 et 20. — (2) Isai. XXII, 15, 19 et seq. — (3) Isai. IX, 6. — (4) Apoc. III, 7. — (5) Matth. XXIII, 4; XVIII, 18.

litationibus. Cum ergo dicitur Petro generaliter: *Quodcumque solveris etc.* datur ei potestas præcipiendi, puniendi, dispensandi, remittendi; proinde fit iudex et Princeps omnium qui sunt in Ecclesia.

Tertio probatur ex Patribus: nam Chrysostomus hom. 55. in Matth. hanc promissionem exponens, dicit, Petro commissum universum Orbem terrarum, et ipsum factum Pastorem et Caput totius Ecclesie. Et Gregorius lib. IV. epist. 32. cum dixisset: « Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto et omnium Apostolorum principi Petro totius Ecclesie cura commissa est. » Continuo rationem reddens, ait: « Ipsi quippe dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum etc. »

Neque Calvinus argumentum aliquid concludit. Nam in primis non est verum, claves promissas Petro, Matth. XVI, datas illi Jo. XX, cum amplius sit ligare et solvere, quam remittere et retinere peccata, ut supra docuimus. Et sane frustra singulariter Petro sunt promissæ claves, et hoc in præmium singularis ejus confessionis, si nihil ei postea singulariter est datum.

Deinde falsum quoque est, nihil esse aliud remittere peccata, quam Evangelium prædicare. Et mirum est, tam obviam expositionem nulli Veterum obviase, sed uni Calvino tandem occurrisse. Certe Chrysostomus et Cyrillus in hunc locum Joannis, et Hieronymus in epist. ad Hedibiam, q. 9. intelligunt per auctoritatem remittendi peccata, potestatem conferendi Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ, non potestatem concionandi. Non esse autem idem concionari et baptizare, docet Paulus, I. Corinth. I, ubi dicit se missum a Domino, non baptizare, sed evangelizare (1).

Ad illud autem I. Corinth. V, de verbo reconciliationis, respondeo: eo loco per verbum *reconciliationis* intelligi quidem concionem, sed non velle B. Paulum dicere, sufficere concionem ad reconciliandum, sed per concionem moveri homines ad hoc, ut velint reconciliari Deo, quod postea fit per Baptismum et Pœnitentiã, ut dicitur Act. II. Nam post concionem Petrus ait: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (2). Non autem dixit, satis est audivisse concionem.

(1) I. Cor. I, 17. — (2) Act. II, 38. — (3) Marc. IX, 8 et 9. — (4) Luc. XXII, 26. — (5) Joan. XXI, 17.

Ad argumentum Magdeburgensium respondeo: Apostolos non intellexisse aperte promissionem Domini Petro factam, nisi post Christi resurrectionem; et tamen suspicatos esse Petrum forte constituendum omnium Principem, et ideo inter se contendisse. Neque mirum est eos non intellexisse, nam metaphorice Dominus locutus erat: illi autem adeo rudes erant, ut multa etiam proprie dicta non intelligerent. Scribit enim Marcus, cap. IX: *Descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent, nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexit. Et verbum continuerunt apud se, conquiescentes quid esset, Cum a mortuis resurrexerit* (3).

Quod autem ex illa suspitione quam habebant de Petri primatu inter se contenderint, testantur Origenes, Chrysostomus, et Hieronymus in cap. Matth. XVIII. Neque verum est, quod Magdeburgenses dicunt, Dominum non respondisse jam esse designatum Principem: quid enim sibi volunt illa Christi verba Lucæ XXII: *Qui major est in vobis, fiat sicut junior, et qui præcessor est, sit ut ministrator*? (4) Nonne, unum Majorem et Ducem luculenter appellavit?

CAPUT XIV.

Soli Petro esse a Christo dictum: Pasce oves meas, Jo. XXI.

Hactenus de verbis illis Domini disseruimus, quibus Apostolo Petro summa potestas Ecclesiastica promittebatur. Nunc de verbis illis disputandum erit, quibus eadem illa potestas eidem Petro data fuit. Sunt autem hæc verba: *Simon Joannis, pasce oves meas* (5): in quorum verborum explicationem tria demonstranda sunt. Primum soli Petro dictum esse: *Pasce oves meas*. Deinde verbo illo *Pasce* traditum esse summam Ecclesiasticam potestatem. Postremo illis vocibus *Oves meas* universam Christi Ecclesiam esse designatam. Siquidem hæc omnia adversarii negant.

Ac primum quidem soli Petro dici: *Pasce oves meas*, probatur. Primo ex illo nomine

Simon Joannis: nam eo nomine solus Petrus vocabatur, nec sine mysterio, ut supra monuimus, eodem modo Christus Petrum appellat, et cum promittit ei claves, Matth. XVI, et cum oves pascendas committit, Jo. ult., ut nimirum intelligeremus, illud ipsum reipso dari Jo. ult., quod fuerat promissum Mat. XVI, et eidem illi Simonidari, cui fuerat ante promissum.

Secundo probatur ex verbis illis: *Diligis me plus his?* Illi enim dicitur *Pasce oves meas*, cui dicitur *Diligis me plus his?* Hoc autem soli Petro dici manifestum est, cum disertis verbis excludantur cæteri, illa comparatione *plus his*. Porro qui excluduntur, non quicumque homines, sed præcipui Apostoli sunt: erant enim tunc presentes cum Petro, Nathanael, quem multi Bartholomæum esse putant, Jacobus, Joannes, Thomas, et duo alii discipuli, quorum alterum credibile est, fuisse Andream; non igitur omnibus Apostolis, sed soli Petro dicitur *Pasce oves meas*.

Tertio probatur ex trina interrogatione. Nam ex Cyrillo et Augustino et aliis in hunc locum discimus, Petrum ter interrogatum an diligeret plus cæteris, quia ter negaverat: at solus ipse ter negavit; igitur solus ipse interrogatur; proinde soli ipsi dicit: *Pasce oves meas*.

Quarto probatur ex illis verbis *Contristatus est Petrus etc.* Propterea enim contristatus est Petrus, si Chrysostomo credimus, quia metuebat, ne forte falleretur, cum diceret: *Tu scis Domine, quia amo te*: quemadmodum falsus fuerat quando dixerat: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Sed ista causa tristitiæ soli Petro qui Dominum negaverat convenit; igitur solus Petrus tristabatur, et solum Petrum alloquitur Christus cum ait: *Pasce oves meas*.

Quinto ex illis verbis: *Cum senexis extendes manum tuam etc.* Illi enim dicitur *Pasce*, cui prædicitur crucifixio: soli autem Petro, et in propria persona mors prædicitur.

Sexto ex illis: *Hic autem quid?* et ex responsione Domini: *Quid ad te? tu me sequere*. Numquam enim Petrus interrogasset, quid Joannes acturus esset, si intellexisset dictum omnibus: *Pasce oves meas*: neque Dominus dixisset: *Quid ad te? tu me sequere*; sed dixisset, item faciet quod tu.

Septimo ex Patribus. Nam præter Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum in hunc locum, qui dicunt ei dictum *Pasce*, qui ter negaverat, qui sine dubio solus erat Petrus:

idem habet Ambrosius in cap. ult. Lucæ exponens hæc ipsa verba: « Ideo, inquit, quia solus proficitur ex omnibus, omnibus antefertur. » Item Maximus serm. de S. Petro et Paulo: « Jam necessarium, inquit, reor, ut proprias eorum specialesque virtutes proloquamur. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas, agnosque commendat: ergo proprium et speciale hoc fuit Petro. Item Leo epist. 89. ad Episc. Viennen. prov.: « Cui cum præ cæteris solvendi et ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ovium cura specialius mandata est. »

Sed contra in hunc modum ratiocinatur lib. IV, cap. 6, §. 3. Joannes Calvinus. Petrus hortatur Compresbyteros suos, ut pascant gregem Dei, I. Pet. V, igitur vel illa verba *pasce oves* dicta sunt omnibus, vel certe Petrus jus suum in alios transtulit.

Respondeo: Petrum hortari Compresbyteros ut pascant gregem, non universalem, sed particularem; ait enim: *Pascite gregem qui in vobis est*. Quemadmodum et Paulus cum Act. XX, hortatur Asianos Episcopos, ut attendant sibi et universo gregi, statim adjungit: *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*, id est, non universo simpliciter, sed tantum universo illi gregi, qui vobis commendatus est. Itaque ista verba Petri non prohibent, quin soli Petro sit commissa potestas generalis totum gregem Christi pascendi, et quin ipse jus suum plenarium in neminem transtulerit.

Deinde objici possunt Augustinus et Chrysostomus. Nam Augustinus lib. de ag. Christ., cap. 30. ita scripsit: « Cum ei (Petro) dicitur, omnibus dicitur: *Almas me, Pasce oves meas*. » Chrysostomus lib. II de Sacerdot., persuasurus Basilio ut Episcopatum, ad quem vocabatur, susciperet, hunc locum allegat, atque ait: « Tum ostensurum Basilius eximiam suam dilectionem in Christum, si pascat ejus gregem, cum scriptum sit: *Si diligis me, pasce oves meas*. » Itaque vult Chrysostomus non ad solum Petrum, sed ad omnes Episcopos verba ista Domini pertinere.

Respondeo: etsi hæc verba proprie et principaliter ad solum Petrum pertineant, omnibus tamen Episcopis suo quodam modo convenire, quia videlicet, omnes qui in partem sollicitudinis a Petro vocantur, Petri formam in pascendo grege imitari debent. Itaque quod summo Pastori dicitur, id etiam suo modo, servata proportione, aliis minori-

bis pastoribus dicitur. Atque ideo Dominus facturus Petrum Pastorem Ecclesiae, interrogavit eum, an diligeret plus ceteris, ut admonerentur ii, ad quos pertinet eligere et constituere pastores, ut eos eligerent ad Episcopatus, qui charitate ceteris excellunt. Atque huic pertinet illud Leonis serm. 3. de annivers. suae assump. : « Ideo Petro hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae Rectoribus Petri forma praenititur. »

CAPUT XV.

Quid significet Pasce Jo. XXI.

Jam vero cum constet, Petrum esse cui dicitur *Pasce oves meas*; sequitur, ut quid significet hoc ipsum *pasce* videamus. Martinus enim Lutherus in lib. de pot. Papae contendit, per illam vocem *Pasce* nullam dari novam potestatem, sed tantum injungi officium diligendi, praedicandi, et docendi Petro, qui jam antea constitutus erat Apostolus et Pastor, non quidem Ecclesiae universae, sed cujusdam portionis, quemadmodum et ceteri Apostoli et Pastores. Id vero his rationibus probat.

Primum. *Pasce* non est praesesse, sed cibum praebere ac ministrare, quod etiam ab inferiore fieri potest; non igitur continuo instituitur Praesul, cui dicitur *Pasce*. Deinde, non imperat Dominus Christianis ut obediant Petro, sed imperat Petro ut praebet alimenta Christianis; igitur minister, non Princeps per hoc Verbum *Pasce* constituitur. Postremo, si per haec verba institueretur Pontificatus, sequeretur, non esse Pontifices eos qui non diligunt, aut non pascent; proinde saepe nullum Pontificem haberemus; major enim Pontificum pars, neque diligit gregem, neque eum verbo et exemplo pascit; quare non Pontificis institutio, sed simplex praecipuum diligendi et docendi hoc verbo *Pasce* continetur.

At nobis difficile non erit ex hac ipsa voce *Pasce* demonstrare summam potestatem illi attribui, cui dicitur : *Pasce oves meas*.

Primum enim, non proprie dicitur *pasce* re alium, qui cibum quacumque ratione mi-

nistrat, sed qui procurat ac providet alteri cibum, quod certe Praepositi et Gubernatoris est : *Quis putas, inquit Dominus, est fidelis dispensator ac prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* (1)? Itaque illius est *pasce*, qui est super familiam constitutus.

Deinde per verbum *Pasce* intelligitur ex communi usu loquentium omnis actus pastoralis : idem enim est *pasce*, quod agere pastorem, sive esse pastorem. Porro actus pastoralis non est tantum praebere cibum, sed etiam ducere, reducere, tueri, praesesse, regere, castigare. Quid? Pastores ovium num solum pabulum illis praebent? nonne etiam regunt, et baculo cogunt ut pareant? Hinc videlicet in Scripturis passim *pasce* accipitur pro eo quod est regere, ut Psal. II, ubi legimus : *Reges eos in virga ferrea*. In Hebraeo פָּסַע, id est, *pasces eos*. Et sane qui pascentur in virga ferrea, verissimam potestatem in pastore suo esse negare non possunt, et Isa. XLIV, qui dico Cyro רִעָה, id est, *pastor meus es tu*. Quo loco tamen non ministerium praebendi cibum, sed amplissimum regnum Cyro praedicat.

Deinde hoc idem efficacius demonstrari potest ex eo verbo, quod Joannes in Evangelio suo posuit. Scripsit enim ποιμαίνω, id est, *pasce* regendo et praesidendo. Nam et Homerus lib. II Iliad., frequenter vocat Regem Agamemnonem ποιμένα λαός, id est, *pastorem populorum*; et ni Scriptura ubi legimus Matth. II : *Ex te enim exiit Dux, qui regat populum meum Israel* (2). In Graeco est, ἐκ σου γὰρ ἐξελήσεται ἡγεμέσιος, ὅστις ποιμαίνει τὸν λαόν σου Ἰσραήλ.

Et notandum, in Hebraeo apud Michaeam cap. V, unde Mattheus accepit, non esse verbum, רעה, quod *pasce* significat, sed verbum מִשְׁפָּטָה quod est dominari. מִשְׁפָּטָה דָּוִד בְּיָמָיו. Denique Apoc. XIX, ubi dicitur : *Et ipse reget eos in virga ferrea*, Graece est, καὶ αὐτὸς ποιμαίνει αὐτοὺς ἐν ράβδῳ σιδήρει. Igitur cum ποιμαίνω non significet *pasce* quocumque modo, sed regere ac praesesse, et Petro dictum sit a Domino, ποιμαίνε τὸν πρόβατον; manifeste sequitur, esse Petrum Rectorem ac Praesidem Ecclesiae constitutum.

Accedant Postremo testimonia veterum Patrum. Chrysostomus lib. II de Sacerd., non semel vocat praefecturam officium Petro

commissum per illam vocem *Pasce* idque explicat per illam aliam Scripturam Matth. XXIV : *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* (3). S. Augustinus in hunc locum : « Oves ipsas, inquit, pasce, ad docendas, regendasque committit. Denique Gregorius in lib. de cur. pastor., passim Pastores vocat Rectores, et curam pastorem regimen, imo et culmen regiminis; et ipsum *pasce*, regere, ac praesesse interpretatur.

Neque Lutheri ratiunculae aliquid efficiunt. Ad Primam enim jam responsum est : *pasce* non esse dapiferi officium, sed Rectoris : nec enim domini pascentur a servis, quamvis illi cibos ad mensas dominorum adferant, sed contra potius a dominis pasci dicuntur servi, quippe qui sumptibus dominorum vivunt.

Ad Secundam respondeo : praesesse ac subesse, regere ac regi, *pasce* et pasci, relationem quamdam inter se habere, ita ut unum sine altero esse non possit; proinde quo verbo dicitur Petro, ut praesit, regat, pascat, eodem nos jubemur Petro subesse, atque ab eo nos regi et pasci sinere.

Ad Tertiam respondeo : *Pasce* esse praecipuum quidem, sed eo praecipuo institui Ecclesiasticum principatum : significatur enim per actum ipsa potestas, unde actus ille procedit. Quemadmodum cum Deus ait : *Germinet terra herbam virentem*; et animalibus : *Crescite et multiplicamini*, fecunditatem attribuit rebus, et naturas aptas ad generandum instituit. Nec solum Deus, sed etiam homines per verbum modi imperandi institui solent Praefectos. Si enim Rex dicat alicui : *Vade, rege talem provinciam*, omnes intelligunt, eum Praefectum esse constitutum ejus provinciae.

At, inquit Lutherus : si per illud praecipuum instituitur Pontificatus; ergo desinit esse Pontifex, qui desinit implere praecipuum. Respondeo : per illa praecipui verba sic institui Pontificatum, ut tamen potestas collata non pendeat ab observatione praecipui. Id quod etiam in rebus humanis videmus : nec enim Prorex desinit esse Prorex, donec a Rege non revocatur, etiamsi non recte provinciam regat.

Deinde nec est verum quod assumit Lutherus, Romanos Pontifices a longo jam tempore non pavisse gregem. Nam tametsi

plerique eorum non concionantur : tamen alios multos exercent actus pastorales, dum ligant, solvunt, dispensant, controversias judicant, Episcopos creant, et quod per se concionando non faciunt, per alios faciunt, Quemadmodum et Episcopus Hipponiensis Valerius, et alii nonnulli, vel senio, vel linguae vitio impediti, per suos Presbyteros concionandi munus implebant.

CAPUT XVI.

Quod illis verbis Jo. XXI. Oves meas, universa Ecclesia significata sit.

Tertia restat quaestio, num per *Oves meas*, intelligatur Ecclesia universa. Negant id Lutherani omnes, et praecipue Lutherus, lib. de pot. Papae : Illyricus in lib. cont. primat. Papae, Magdeburgenses Gent. I, lib. II, cap. 7. col. 525. Liber Smalchadicus de prim. Papae, et Calvinus lib. IV Institut. c. 6. §. 7.

Nobis autem exploratum certumque est, omnes omnino Christianos, etiam Apostolos ipsos, Petro tanquam oviculas commendari, cum ei dicitur : *Pasce oves meas*.

Est autem observandum, Christum his dixisse : *Pasce agnos meos*, et semel : *Pasce oves meas*. Tametsi enim in Graeco textu semel est *pasce agnos*, et bis *pasce oves*; tamen corruptus videtur locus vitio Librariorum, qui in secundo loco scripserunt πρόβατα, cum scribere debuissent πρόβατα, id est, oviculas seu agnos : facile autem fuit excidere unum jota.

Ita esse colligo, primum ex Ambrosio et Maximo. Ambrosius enim in cap. ult. Lucae, dicit, Christum primum commendasse Petro *agnos*, Graece ἀγνία. Secundo *oviculas*, quae dicuntur Graeco πρόβατα. Tertio *oves*, Graeco πρόβατα. Maximus serm. de S. Petro et Paulo dicit, Petro *oviculas* et *oves* commendatas : qui certe hoc non diceret, nisi legisset πρόβατα et πρόβατα. Deinde idem colligo ex nostra versione ; nam si fuisset in Graeco bis πρόβατα, ne indoctissimus quidem per secundo loco vertisset *Agnos* : quis enim ignorat, *agnos* dici ἀγνία, non πρόβατα ?

(1) Luc. XII, 42. — (2) Matth. II, 6.

(1) Matth. XXIV, 45.